3.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS JOSEPHUS GRAY,

JAMAICENSIS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

"*Neque jam color est misto candore rubori;*

"*Nec vigor, et vires, et quæ modò visa placebant.*"

Ovid.

Octavo Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCCII.

PATRI OPTIMO,

THOMÆ JOSEPHO GRAY,

ARMIGERO,

DIVI JACOBI

IN

JAMAICA;

VIRO PROBO,

AMICIS ET FAMILIARIBUS

CARO ET ACCEPTO;

HANC DISPUTATIONEM

QUA FILIUM DECET PIETATE

D. D. C.QUE

THOMAS JOSEPHUS GRAY

MARITO MATERTERÆ SPECTATISSIMO

JOANNI CUNNINGHAM,

ARMIGERO,

DIVI JACOBI

IN

JAMAICA;

VIRO

BONIS ARTIBUS, ET VITÆ INTEGRITATE

INSIGNI,

HOC

GRATI ANIMI

PUBLICUM TESTIMONIUM

SUMMA OBSERVANTIA

OFFERT

THOMAS JOSEPHUS GRAY.

BENJAMINI BELL,

VIRO OPTIMO,

ET

CHIRURGO PERITISSIMO

EXERCITATISSIMOQUE;

QUO

AUSPICE ET DUCE,

ARTIS SALUTIFERÆ

RUDIMENTA

DIDICIT;

HOC

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

MONUMENTUM

LITERARUM MEMORIÆ

MANDAT

THOMAS JOSEPHUS GRAY.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

PROOEMIUM.

§ I. QUIS hominum à morbis immunis est? Quotus mortalium quisque unum annum, sine ægrotatione, agit, sine ægritudine, sine veris malis, aut futurorum metu? Sed quò brevior vita est hominum, et quò morbis sæpiùs contristatur, eò sanè magis sapientis est valetudini consulere, atque morborum causas, quantùm cognoscantur, cavere et evitare.

II. Ubique

II. Ubique orbis terrarum, quantùm scimus, ubì linguæ, legùm, morum, juris communitate conjunguntur mortales, *icterus* morbis annumeratur, quibus plectuntur et pereunt. Multò autem, ibì gentium, frequentior est, ubì mortales ad civilem communitatem diù conjuncti et consociati sunt, jamque artes subtilitèr excoluerunt, quæ in urbes alliciunt atque attrahunt; mores, dum emolliunt, corrumpunt; demùmque divitias procreant, quibus incitamenta suppeditantur, quæ non solùm ad effœminandos animos pertineant, sed etiam invitent ad ignaviam et luxuriam.

III. Mortales omni ætate, omnique temperamento, *icterus* afficit: sæpiùs verò, ætate provectiores, et corporis temperamento melancholicos. Quinetiam, sæpiùs hoc morbo flavescunt ignavi et desides, quàm laboriosi et impigri; merobibi et vinosi, quàm sicci et sobrii; fœminæ, quàm mares; urbani, quàm rustici. Confitendum autem est, nihil ex his esse perpetuum.

IV. Hæreditarius,

IV. Hæreditarius, necne, *icterus* sit, medicis nondùm satìs innotuit. Inter omnes quidem convenit, multos ex hac gente ortos *ictero* affici atque perire, dum ex illa nati, per vitam, hoc morbo vacui sunt. Sed nondum satìs constat, nunquandò, sicut podagra, phthisis, et *mania*, transmissâ à parentibus corporis proprietate oriatur, an fortuitis causis, quibus, labentibus annis, corpora exponantur.

V. *Icterus*, de quo scribere statuimus, utì frequens est, ità gravissimos dolores movet, neque rarò affert mortem. Quum verò haudquaquam nobis consilium sit disserere, quot hoc morbo correpti sint, quotque periverint: pergemus quàm paucissimis exponere, quibus notis definiatur; quibus malis mortales afficiat; quibus causis oriatur; quibus differat ab aliis morbis; quibus notis ægros spe consoletur, quibus metu terreat; et quâ, denique, ratione ad salutem auspicatò perducatur.

VI. Utì, qui de morbo hujusmodi disputationem elaborat, plerumquè, ante omnia, verbis alicujus *nosologorum* aperit, quibus notis

cognoscatur:

cognoscatur; sic nos, imitati morem, *icterum*, quem pro argumento selegimus, definiemus Culleni verbis.

DEFINITIO.

VII. *Icterus* à Culleno definitur: "Flavedo cutis et oculorum; fæces albidæ; urina obscurè rubra; immissa colore luteo tingens (A)." Sic definitus, dividitur ab eodem auctore in *calculosum*, *spasmodicum*, *hepaticum*, *gravidarum*, et *infantum*; non tam à signorum dissimilitudine, quàm causarum, quibus concitetur.

VIII. Quum autem pleraque signorum omnibus his speciebus communia sint, non opus videtur, ut de iis singulatim dicamus, nisi quatenus diversas curationes requirant, diversosve prænuncient eventus.

SIGNA.

(A) Vid. Cullen. *Synops. Nosolog. Method.* Tom. II. gen. XCI.

SIGNA.

IX. Morbo, de quo scribimus, aliud nomen atque aliud dixerunt auctores. *Icterus*, ut à PLINIO SECUNDO accipimus, appellatur ex colore avis, "quæ si spectetur, sanari morbum tradunt, et avem mori (A)." *Arcuatum* COLUMELLA nominat (B), *arquatum* LUCRETIUS (C), ex diversis forsitan coloribus, quibus, dum procedit, corpus tingit. "VARRO," inquit PLINIUS SECUNDUS, "*regium* cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur (D)." CELSO autem

(A) Vid. C. PLIN. SECUND. *Hist. Nat.* Lib. XXX. cap. XI.

(B) COLUMELL. *De Re Rustic.* Lib. VII. cap. III.

(C) Vid. TIT. LUCRET. CAR. *De Rer. Nat.* Lib. IV. lin. 333.

(D) Vid. C. PLIN. SECUND. *Hist. Nat.* Lib. XXII. cap. XXIV.

tem *regius morbus* dictus videtur, quia olim vulgò putabatur curari, si ægri, regum more, indulgerent sibi " lecto, et conclavi cultiore, " usu, loco, ludis, lasciviâ, aliis, per quæ " mens exhilaretur (A)." *Auriginem* proptereà dicit SCRIBONIUS LARGUS, quòd summam cutem suffundit aureo colore.

X. *Icterus* interdum, de improviso, invadit, nullis signis præmissis, ex quibus appropinquare medici suspicari possint. Sæpiùs verò antecedunt inflatio stomachi, ructus, acor, aliaque, quæ alimentum non benè concoqui indicant; neque enimvero raro, in hypochondriorum dextro, sensus oneris et dolor. Nonnunquàm quoque infelix, qui in eo est, ut hoc morbo affligatur, vel levissimâ exercitatione lassescit; atque, nisi ubì jejuni appetitus cupidinesve flagitant, aut urgent desideria naturæ, tradit se inertiæ, ignaviæ et somno.

XI. Haùd

(A) CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

XI. Haud multò pòst, signa indubia morbum manifestant. Quod in oculis album esse debet, fit luteum (A). Deindè tempora, facies, collum, universaque demùm cutis, luteo colore suffunduntur.

XII. Alia, neque ea pauca, ostendunt, quo morbo æger implicetur. Ea, quæ alvus infrà transmittit, sunt alba, sicca, cretacea, multùmque cretam figlinam referunt. Urina crocina est, et immissa lintea imbuit croceo colore. Summa ubique cutis perpruriscit. Exiguus calor nares mordet. Amara non quidem gustatu amara sunt, neque tamen dulcia; dulcia verò, amara (B).

XIII. Quinetiam, procedente morbo, sanguis, utì testatur ZUINGERUS, luteus apparet, et cruoris ferè expers, neque profectò urinæ absimilis. Lac tamen nutricum, ut à HE-

BERDENO

(A) Vid. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

(B) Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sign. Morb. Diuturn.* Lib. I. cap. XV.

BERDENO et SWIETENIO (A) accipimus, bilis expers est, et infanti salubre: quo sanè, si verum, nihil pulchriùs aut mirabiliùs demonstrat, quàm piâ et providâ curâ educatrix Natura suæ teneræ prolis saluti et conservationi consulat.

XIV. Increscente, porrò, morbo, non solùm viscera et intestina, ut pulmones et stomachus, sed et pinguedo et membranæ, naturalem colorem amittunt, et plùs minùs luteo colore saturantur (B). Neque, enimvero, hæc sola: interdum enim, utì testantur KERKRINGIUS

(A) Vid. SWIETEN. *Commentar. in* BOERHAAV. *Aphor.* Tom. III. pag. 141.

"Vidi," inquit, "*ictericam* mulierem, cui facies "et totum pectus saturatâ flavedine tingebantur, "reliquæ corporis partes non; infans, quem lactabat, non repudiavit ubera materna, et lac inveni "albi coloris, absque ulla amaritie."

(B) Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Medicin. Rat. System.* Tom. IV. Part. IV. pag. 353.

GIUS (A) et DOLÆUS (B), tam omnia thoracis abdominisque viscera, et ipsum quidem cerebrum, quàm ossa atque cartilagines, croceum ducunt colorem.

XV. Diù certamen inter auctores fuit, ictero, necne, laborantibus omnia, quæ oculis obveniunt, flava appareant. Aiunt GALENUS; SEXTUS EMPIRICUS; SYDENHAMUS (C); SWIETENIUS (D); HOFFMANNUS (E), qui ipse

---

(A) Vid. KERKRING. in *Spicileg. Anatom.*

(B) Vid. DOLÆ. in *Encycloped. Medic.* Lib. III. cap. VIII.

(C) Vid. SYDENHAM. *Process. Integ.*

(D) Vid. SWIETEN. *Commentar. in* BOERHAAV. *Aphor.* Tom. III. pag. 141.

(E) Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Medic. Ration. Systemat.* Tom. IV. Part. IV. pag. 353.

duo exempla vidit; SCARDONA (A); PERCIVALIUS (B); Naturæque poëta, qui olim cecinit:

"*Lurida prætereà fiunt, quæcunque tuentur*
"*Arquati, quia luroris de corpore eorum*
"*Semina multa fluunt simulacris obvia rerum;*
"*Multaque sunt oculis in eorum denique mista,*
"*Quæ contage suâ palloribus omnia pingunt.*"

LUCRET. *De Rer. Nat.* lib. IV.

Perquàm autem dubitat MERCURIALIS, proptereà quòd neque CELSUS, neque CÆLIUS AURELIANUS, neque AËTIUS, neque AVICENNA, qui sanè omnes de ictero scripserunt, hujus signi mentionem injecit (C).

XVI. Quum utrobique auctores tam clari atque nobiles sint, tamque idonei; inclinant animi, ut credamus, rebus, quæ morbo regio ægrorum

(A) Vid. SCARDON. Aphorism. *De cognoscend. et curand. morb.* Lib. III. cap. X.

(B) Vid. THOM. PERCIVAL. *Essays Medic. Philosophic. and Experiment.* Vol. II. pag. 327.

(C) Vid. MERCURIAL. *in Prælect. Bononiens.*

rum oculis obveniunt, nonnunquàm flavum esse colorem, sed sæpiùs multò naturalem.

XVII. Ad signa, quæ memoravimus, accedunt importuna et inexplebilis sitis; stomachi defectus et dolor; fastidium ciborum, nausea, neque rarò vomitus; intestinorum strepitus, et murmura gravia; alvus tarda plerumquè, aut astricta. Solent etiam accedere dolor capitis, frequens singultus, præcordiorum dextrâ parte durities; et, ubì corpus vehementer movet æger, spiritûs difficultas, membrorumque resolutio: atque, ubì diutiùs manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit (A).

XVIII. Febris aliquandò, initio icteri, oritur ex bile, utì videtur, in sanguinem delatâ; sed sæpè brevis est, nec longo tempore desinit. Plerumquè non priùs accedit, quàm icterus aliquandiù

(A) Vid. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

aliquandiù increvit. Quandò autem serò nascitur, lentâ naturâ est, et diù continuat. Nonnunquàm, in acutis morbis, febris icterum antegreditur; nonnunquàm tertiana sibi comitem adsciscit, inter accessionem (A).

XIX. Si arquatus diù protrahitur, color flavus paulatim abit in subatrum; aut, quod fortassè vero propius est, color antè ex albo viridis, nunc fit ex viridi ater (B). Inclinante ad atrum colore, *ARQUATUS ATER* appellatur morbus, multoque periculosior fit, curatuque difficilior. Ægri frigent, moveri pigent, tristes et animo demissi sunt, tetrum odorem exhalant, spiritum difficilè trahunt et emittunt. Quinetiam, in stomacho morsiunculas quasi persentiunt, cruditatibus laborant, cibum aversantur, vigiliâ premuntur, mœrori se atque melancholiæ

(A) Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Practic.* volum. quart. Part. alter. § CLX.

(B) Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sign. Morbor. Diuturn.* Lib. I, cap. XV.

liæ dedunt. Omnia, porrò, quæ gustant, amarissima sunt: alvi excrementa, porracea, subnigra, arida sunt, ægrèque descendunt: urina fusca est, aut subnigra (A). Interdum urgent *iscburia*, et *tenesmos* (B).

XX. Nisi arquatus, præcipuè niger, aut sponte sanescat, aut medicinâ optatò sanetur, tanta sanguinis corruptio fit, quanta tabem, aquam intercutem, erysipelas malignum, *sphacelum*, sanguinis profusiones (C), ipsamque demùm mortem inducat.

XXI. Hic loci, haud alienum erit, rara quædam memorare signa, quæ, in regio morbo ægris, sese nonnunquàm ostendunt.

XXII. Qua-

(A) Vid. ARETÆ. *De Caus. et Sign. Morbor. Diuturn.* Lib. I. cap. XV.

(B) Vid. FRIDERIC. HOFFMANN. *Medicin. Rat. System.* Tom. IV. Part. IV. pag. 381.

(C) Vid. FRIDERIC. HOFFMANN. *Medicin. Ration. Systemat.* Tom. IV. Part. IV. p. 361.

XXII. Quadragenarii, quem vidit LANZONIUS, facies tota, usquè ad guttur, virebat; dum dextra nigrebat corporis pars, et flavebat sinistra; sic, ut miser tricolor esset. Porrò, quod sanè mirum erat, partes, tam virides quàm nigræ, paulatìm flavebant, et vicissim lævum corpus, initio flavum, gradatìm evasit nigrum; donec, post vigesimum demum diem, externum ubique flavesceret corpus (A).

XXIII. Quinetiam, utì refert BEHRENSIUS, septuagenarius, ex *apoplexia*, quam ira moverat, dextri lateris paralysi simulque ictero affectus est: atque, mirabile dictu, corpus proindè, quasi ad perpendiculum examussìm divisum, bicolor erat; sic, ut dextra pars nasi bile suffusa flaveret, minimè verò sinistra (B).

CAU-

(A) Vid. *Ephemerid. N. C. Observation.* XLI. pag. 61.

(B) Vid *Ephemerid. N. C. Centur.* III. *Observat.* LXIV. p. 145.

CAUSÆ.

XXIV. Præcipuis icteri signis memoratis, ad causas transeundum est, ex quibus oriatur. Non enim sufficit, mala, quibus urgentur mortales, animadvertere; opus insuper est causas cognoscere, undè nascantur.

XXV. Medicorum igitur est, qui student sese præstare empiricis, summâ ope niti, ut investigent non solùm abditas cujusque morbi causas et evidentes, sed etiam eam, quæ contineat. Qui enim, undè provenerit quisque morbus, ignorant, itidem nesciant necesse est, quibus ei medicamentis et remedĭis succurratur. Cùmità sit, nostrum est, de causis speciatim ordine dicere.

XXVI. *Abditæ*—causæ, quæ etiam *prædisponentes* à recentioribus medicis appellantur, sunt,

sunt, quæcunque faciunt, ut spissescat bilis, et concrescat in massulas; itemque, quæcunque hepar, et ductus per quos bilis in summum intestinum conducitur, apta reddunt, quæ indurescant callescantque; necnon etiam, quæcunque ductus ad spasmum faciunt opportunos.

XXVII. Ad hoc genus pertinent, ignavia; vita sedentaria, quam non solùm opifices artibus quibusdam versati, videlicet sutores, sartores, sed etiam literis dediti, agunt; graviditas; temperamentum melancholicum; mœstitia et mœror. Omnibus his causis alvus tarda est; ideoque bilis, justò diutiùs in ductibus aut in vesica fellea remorans, spissescit, præter solitum; neque rarò indurescit in massulas, quæ vel omninò non, vel saltem non sine magna difficultate, in summum intestinum transmitti possunt.

XXVIII. Quinetiam, eodem genere comprehenduntur febres intermittentes, per astringentia intempestivè suppressæ; itemque menses

ses, *hæmorrhoisve* obstructa vel retardata (A). Hæ causæ, utì nobis verisimillimum videtur, mortales ictero opportunos reddunt, faciendo, ut hepar duritiam concipiat, et callescant ductus, per quos in summum intestinum bilis transmittitur.

XXIX. Ad genus itidem càusarum, de quo dicimus, spectat animus, seu quâdam corporis constitutione, seu vituperandâ indulgentià iracundus et irritabilis. Tali animo mortales temerè iram et flammam concipiunt, et de lana caprina rixantur et pugnant; aut, si inhibeantur, ne violenta manibus faciant, occlusâ irâ æstuant. Qui iræ sic impotentes sunt, iidem, præ cæteris, apti observantur, quorum ductus, per quos in summum intestinum conducitur bilis, spasmo afficiantur, quique arquato flavescant (B).

 XXX. EVIDENTES

(A) Vid. FRIDERIC. HOFFMANN. *Medicin. Ration. System.* Tom.. IV. Part. IV. p. 359.

(B) Vid. FRIDERIC. HOFFMANN. *Medicin. Ration. System.* Tom. IV. Part. IV. p. 355. et 370.

XXX. *Evidentes*—causæ, seu *excitantes*, sunt omnia, quæ impediunt, ne bilis transmittatur in summum intestinum. Hujus generis sunt ómnia, quæ ductum hepaticum, aut ductum *choledochum*, bili impervium reddunt. Quæ igitur hæc sint, nunc breviter quærendum est.

XXXI. Sunt, qui bilem ipsam adeò spissescere posse existiment, ut nequeat per ductus transire, sed his inhæreat et officiat. Huic autem sententiæ objiciatur, bilem adeò lentam, ut per ductum hepaticum *choledochum*ve transire nequeat, nullo certè modo aptam esse, quæ, per vasa his multò angustiora, in sanguinem deferatur, et icterum faciat. Quinetiam, id sanè quod itidem infirmat hanc opinionem, multa interdum bilis, ut ex incisis cadaveribus medici compererunt, in vesica fellea spissescit, neque tamen sequitur icterus (A). His cognitis, dubium, confitemur, est,

(A) Vid. Edinburg. *Med. Ess. and Observat.* Vol. II. Artic. XXX.

est, nunquando lentâ bile, ductus modò dictos obturante, morbus, de quo scribimus, nascatur.

XXXII. Vicinæ autem partes, quarum magnitudo aucta est, supradictis viis felleis compressis et imperviis bili redditis, icterum haud raro concitant. Sic hunc morbum inducunt, jecur aut inflammatione (A) aut duritiis tumefactum; pancreas iisdem causis tumidum; intestinum sinuatum stercore spirituve perquàm distentum; uterus gravidus; *mesenterium*, intestinum summum, jejunum (B), pylorus stomachi induratus.

XXXIII. Quinetiam, fieri potest, ut spasmus, alterutrosque ductus suprà dictos coangustando, morbum regium moveat. Sic huic forsitan morbo occasionem dant ira, æstus, furor,

(A) Vid. EDINBURG. *Med. Ess. and Observat.* Vol. II. Artic. XXIX.

(B) Vid. EDINBURG. *Med. Ess. and Observat.* Vol. I. Artic. XXXIV.

furor, rabies, et siquæ similes animi perturbationes (A).

XXXIV. Inflammatio, porrò, alterutrisque viis felleis, quas modò memoravimus, affectis, faciat, ut superveniat regius morbus. Inflammatio aut in ipsis viis oriatur, aut in has serpat ex inflammato jecore. Imò, inflammatum ipsum hepar, etiamsi in ductum hepaticum non pateat inflammatio, hunc tamen comprimendo icterum concitet (B).

XXXV. Nonnunquàm *meconium*, quo alvus infantum recentèr natorum illinitur, itidemque coagulatæ colostri partes, ductum *choledochum*, ubì in summum intestinum patet, occludunt, icteroque præbent occasionem. Hujusmodi autem icterus brevis plerumque est, et sanatu facilis.

XXXVI. Sunt

(A) Vid. FRIDERIC. HOFFMANN. *Medicin. Ration. System.* Tom. IV. Part. IV. p. 355.

(B) Vid. EDINBURG. *Med. Ess. and Observat.* Vol. II. Artic. XXIX.

XXXVI. Sunt quoque, qui contendant, arquatum muco tenace, vias felleas, hepaticam saltem et communem, oppilante, aliquandò concitari. Tali ictero opportunissimi putantur mortales, qui laxi, debiles, et pituitosi sunt; quorum tarda alvus est; quique, præ stomachi invaletudine, inflatione sæpè vexantur, et escam benè concoquere nequeunt. Subdubitamus autem, an ex hac causa icterus sæpè oriatur.

XXXVII. Causæ, quæ morbum regium longè sæpissimè inducunt, sunt subdura corpuscula, quæ ex ipso felle concreto formantur. Concreta fellea interdum in colis hepatis generantur; aliquandò, in communi colorum trunco, ubì hepate exit; at multò frequentiùs, in vesica fellea. In quâ harum partium cunque creantur, sternutatione, tussi, vomitione, luctatione, saltu, convulsionibus, aliove quovis molimine, in ductus haud raró demittuntur; et, si, ut nimìs eheu! sæpè, in ductu hepatico inhærent, ubì *choledochum* introit, aut in *choledocho*, ubì intrat summum intestinum, motui

motui bilis obsistunt, atque ictero præbent occasionem (A).

XXXVIII. Potestne, quærat aliquis, concretum felleum in ductu *cystico* icterum facere? Quidnì, respondemus, modò in ea inhærescat parte, ubì hic ductus et hepaticus, nondùm in communem conjuncti, sibi invicem contigui sunt? Et quomodò, requirat idem, inhærescens in ea parte concretum potest icterum movere? Non, replicamus, ductum *cysticum* obturando, sed sic comprimendo ductum hepaticum, ut bili ex jecore defluenti obstetur, ne in summum intestinum influat. Sæpène ex hac compressione nascitur icterus? Rarò, credimus, imò rarissimè quidem.

XXXIX. Bilis

(A) Vid. FRIDERIC. HOFFMANN. *Medicin. Ration. Syst.* Tom. IV. Part. IV. p. 356.

SWIETEN. *Comment. in* BOERHAAV. *Aphor.* Tom. III. pag. 132.

EDINBURG. *Med. Ess. and Observat.* Vol. I. Artic. XXXIII. et XXXIV.

XXXIX. Bilis, ex qua concrescunt corpuscula, de quibus hìc dicitur, est, utì periculis compertus est FOURCROIUS, humor ex parte albumen simulans, ex parte saponem; atque constat ex aqua, albumine, *sodâ*, oleo speciali quod concrescat apto, *phosphate sodæ, et phosphate calcareo.* Ex cæteris naturis, ex quibus itidem bilem, ex parte, componi *chymistæ* putabant et putant, tam colorans, quàm oleosa volatilis myrrham perolens, mutatione generatur, quam bilis subit; natura, ex parte mucum referens, ex parte saccharum, nondùm experimentis satìs comprobata est; et ferrea est fortuita (A).

XL. Bilis à sanguine seducta, priùs, quàm corpore excernitur, non solùm alvum salutariter stimulat; et oleosas, si quæ, escarum partes, et aquosas conciliat; et coagulatas, si quæ, lactentium partes dissolvit; et putredini obstat

---

(A) Vid. FOURCROI. *System. des Connaissances Chimiques.* Sect. VIII. Ord. III. Art. XXI. § V. 37.

obstat (A): sed etiam, liquore *pancreatico* adjuvante, novum humorem, dulcem, albidum, lacteum generat; qui CHYLUS nominatur (B), quique idoneâ copiâ, et in sanguinem conversus, ad secundam corporis valetudinem prorsùs necessarius est. Quemadmodùm *chylus* generetur, exponit FOURCROIUS his verbis.

XLI. "*Il me paraît,*" inquit, "*que la bile unie au suc prancréatique opère une vraie précipitation de la substance chimeuse; qu'elle se décompose elle-même en décomposant celle-ci; que cette décomposition consiste dans une séparation de la liqueur chyleuse, douce, blanche, laiteuse, qui retient avec la partie la plus fluide de l'aliment digéré, la substance alcaline et saline de la bile, et dans une concentration de la portion la plus épaisse, la moins digérée, mêlée avec la partie colorante et huileuse*

(A) Aud. ALEXAND. MONRON. SECUND. *Prælect. De Anatom. et Chirurg. in ACAD. EDIN.*

(B) Vid. FOURCROI. *Syst. des Connaiss. Chim.* Sect. VIII. Ord. IV. Art. IV. 5.

"*leuse de la bile, formant la matière qui doit*
"*devenir excrément* (A)."

XLII. Interdum autem fel, priusquàm in summum intestinum transmittitur, in partibus suprà memoratis concrescit in massulas, quæ, utì diximus, ductibus officiendo, icterum faciunt. Oleum enim fellis, utì putat FOURCROIUS, ubì abundantius fit, quàm quod liquidum conservare possit *soda*, in massam chrystallinæ similem concrescit, modò purum et seorsùm, modò spisso felle plùs minùs intermixtum; atque aliam formam induit, atque aliam, prout lentiùs concrescat aut celeriùs (B).

XLIII. Hæc materia, quæ sanè nihil aliud est, quam oleum fellis concretum, et quæ na-

D turâ

(A) Vid. FOURCROI. *Syst. des Connaiss. Chim.* Sect. VIII. Ord. IV. Art. IV. 5.

(B) Vid. FOURCROI. *Syst. des Connaiss. Chim.* Sect. VIII. Ord. III. Art. XXII. 5.

turâ resinam *vegetabilem* referre diù existimabatur, magnam, sæpè maximam, partem concretorum felleorum, quibus vexatur humanum genus, constituit. POULLETIERUS primus omnium comperit, resinæ prorsùs dissimilem esse; sed, præ exigua quantitate, quam obtinuit, nequivit, quæ ei esset natura, satìs investigare. FOURCROIUS autem, nullam omninò ei similitudinem esse cum resina, at, ferè per omnia, sevum cete simulare, compertus, *ADIPOCERAM* appellavit (A).

XLIV. Quanquam *adipocera* omnibus inest concretis felleis, quæ in hominum corporibus ingenerantur, in aliis tamen quadantenùs alia apparet. In his, pura est, et disposita in laminas chrystallinas, albas, *micaceas*, splendentes, et ferè semiperlucidas. In illis, sufflava aut subviridis, minùs visibilis, minùs chrystallina, et spissâ bile intermixta. In haud paucis spissata bilis intermixta adeò abundat,

(A) Vid FOURCROI. *System. des Connais. Chim.* Sect. VIII. Ord. III. Art. XXII. 3. 4. 5.

abundat, ut, ab omni parte, chrystallinas *adipoceræ* lamellas occulat; neque permittat, ut percipiantur, donec concreta *alcohole* calido liquata, deinque refrigescentia, eas deposuerint (A).

XLV. Concretis felleis, præter *adipoceram*, insunt cæteræ etiam fellis partes, albumen, nempè, *soda*, *phosphas sodæ*, *phosphas calcareus*.

XLVI. Concreta fellea in sex genera distribuit FOURCROIUS, scilicet, in *hepatica biliosa*, *hepatica adipocerosa*, *cystica biliosa*, *cystica corticosa*, *cystica adipocerosa*, atque *cystica mixta* seu *adipobiliosa*. Hæc genera nomina trahunt ex loco, ubì concreta generantur, atque materiâ, quæ maximam horum partem constituit; aut ex loco, et materiæ hujus dispositione. Quibus autem inter se differant, et quæ cujusque propria sint, nobis, in hujusmodi opusculo,

---

(A) Vid. FOURCROI. *System. des Connaiss. Chim.* Sect. VIII. Ord. III. Art. XXII. 5.

opusculo, nec vacat nec lubet fusè disserere. Qui igitur de his plura cognoscendi studio flagrant, eos ad ipsum auctorem relegamus (A).

XLVII. Concreta, de quibus hìc agitur, sunt, ex parte tantùm, aquâ dissolubilia; majore ex parte, *alcohole*. Sunt levia, et aquæ plerumquè supernatant; at interdum in imum ægrè deferuntur. Oleosa sunt, tactu lubrica, flammis opportuna. Ea emolliunt et liquefaciunt *alcalia caustica*, itemque oleum terebinthinum, necnon etiam olea fixa et *acidum nitricum*. Igne liquescunt, tanquàm cera. Præter nucleum, qui plerumquè ex spissa bile constat, ideoque amarus est, nullius saporis sunt. Aliàs solitaria sunt, et subrotunda. Aliàs numerosa, numerosissima quidem, polygonia, et tessellatìm coagmentata. Quinetiam, triangula nunc sunt, nunc prismam referunt. Ad hoc, discoloria sunt, jam flavida,

---

(A) Vid. FOURCROI. *System. des Connaiss. Chim.* Sect. VIII. Ord. III. Art. XXII. 7.

flavida, jam subfusca, jam subnigra, jam nigerrima. Eorum, denique, laminæ aliàs centrum commune ambiunt; aliàs ex centro communi, superficiem versus, sese dispandunt (A).

XLVIII. *Continens.*—Expositis causis icteri, tam abditis quàm evidentibus, nunc quærendum est, quid sit causa, quæ cum contineat, seu, quod sanè eodem spectat, quid sit causa ejus *proxima.*

XLIX. Nostrâ ætate, concedunt, quòd scimus, omnes medici, bilem in sanguinem delatam, et cum eo commixtam, communem icteri

---

(A) Vid. Fourcroi. *Syst. des Connaiss. Chim.* Sect. VIII. Ord. III. Art. XXII. 7.
Swieten. *Comment. in* Boerhaav. *Aphor.* Tom. III. pag. 133.
Edinburg. *Med. Ess. and Observat.* Vol. II. Artic. XXVIII.
Sanderis. *Treatise on the Structure, Economy, and Diseases of the Liver.*

teri signorum stipitem esse, seu, quod idem valet, causam, quæ hunc morbum continet.

L. Non autem inter se conveniunt medici, quemadmodùm bilis in sanguinem transmittatur. MONRO, clarus in primis, contendit, bilem, causis suprà dictis impeditam, ne, per vias solitas, in summum intestinum conducatur, vasis bibulis in has vias patentibus resorberi, et, per *ductum thoracicum*, transmitti in sanguinem (A).

LI. Quin bilis, per vasa absorbentia, in sanguinem conduci possit, nemo medicorum quisquam, nostrâ ætate, dubitat. Icterum bile in sanguinem sic conductâ oriri, MONRO experimento comprobavit. Patefacto enim animantis abdomine, *ductum communem choledochum* ligavit; neque multò pòst, bibula jecoris vasa, quæ anteà non conspicua erant, itemque *ductum thoracicum*, liquore turgida deprehendit.

(A) Aud. ALEXAND. MONRON. SECUND. *Prælect. De Anat. et Chirurg. in ACAD. EDIN.*

hendit. Hujus liquoris emissi color et amaritudo commixtam bilem satìs manifestârunt (A).

LII. Quum verò, ut testantur HALLERUS et SANDERISIUS, auctores sanè graves et satìs fidi, aqua aut alius quilibet tenuis humor, in ductum hepaticum immissus, facilè, per poros felleos, in surculos venæ portæ hepaticæ transeat, et hinc in venam hepaticam cavam; nonnulli existimant, fieri posse, ut fel quâlibet causâ impeditum, ne in summum intestinum introëat, per has easdem vias in cavam hepatis venam refluat, et icterum moveat inquinando sanguinem.

LIII. Posset, necne, sic refluere bilis, experiri secum statuit SANDERISIUS. Hunc in finem, inciso canis abdomine, ductum hepaticum ligavit, ne bilis transmitteretur in summum

---

(A) Aud. ALEXAND. MONRON. SECUND. *Prælect. De Anat. et Chirurg. in* ACAD. EDIN.

mum intestinum. Duas post horas, sanguinem è vena *jugulari*, simulque ex una venarum hepatis cavarum, in comparia vasa emisit; et eandem utrique sanguini copiam quiescendi dedit, donec in partes constituentes sese sponte resolvisset. In serum deindè utriusque sanguinis puram chartam immersit. Tùm, opere finito, charta, excepta ex sero sanguinis venâ cavâ hepaticâ eliciti, multò, quàm altera, visu flavior erat. Hæc compertus, concludit SANDERISIUS, bilem posse, ubì impedimentum quodvis ductui hepatico aut communi *choledocho* officit, per cola hepatis in sanguinem remeare, et, unà cum bile per vasa bibula in sanguinem conductâ, facere, ut corpus arquato flavescat (A).

LIV. MONRO autem, quo nemo quisquam humani corporis rerum scientior et peritior, censet, aliquem in hoc experimento errorem

(A) Vid. SANDERIS. *Treatise on the Structure, Economy, and Diseases of the Liver.*

rem latuisse; atque non solùm argumentis, ex partium ipsarum natura et similitudinibus ductis, sed et calculos subtiliter exsequendo, contendit, fel non posse ex ductu hepatico communive in venam cavam hepaticam refluere (A).

LV. Litem inter tam præclaros medicos componere, juvenilibus annis haudquaquàm convenit. Juvenum est dubitare, interrogare, observare, experiri, comparare, sed tardè cogere et cautissimè. Tali enim ratione, et non temerè concredendo, explorandum verum est et cognoscendum; tali studio perdiscenda philosophia est, et pernoscenda medicina. Attamen, cùm, experimentis contrariis, utrisque nequeamus auctoribus concredere, inclinant animi, ut MONRONI potiùs accedamus.

(A) Aud. ALEXAND. MONRON. SECUND. *Prælect. De Anat. et Chirurg. in* ACAD. EDIN.

SIGNORUM RATIO.

LVI. Causis expositis, proximum est, ut signa carptìm, ut quæque explicatu dignissima videntur, explanemus.

LVII. *Flavus color*,—quo non solùm summa cutis, et album oculorum suffunduntur, sed etiam haud raro cartilagines, *tendines*, ipsa ossa, itemque quidam humores, bile efficitur; quæ ex sanguine, quocum in misturâ quâdam, at discreta tamen, in omne corpus distribuitur, aut per patulos arteriarum surculos separatur, aut per cola glandularum. Cùm enim bilis naturâ viridis sit, et tam humores, quos decolorat, quàm solidæ partes, albi subalbidive, necesse est, ut ex pigmentariis discimus, confusis his coloribus oriatur flavus.

LVIII. Sed, his concessis, quamobrèm, quærat aliquis, non itidem lac flavo colore tingitur?

tur? Candidè confitemur, nos in præsentia ignorare, quemadmodùm hæc quæstio aptè dissolvatur.

LIX. *Flava apparent*—ea, quæ oculis obveniunt, fortassè ob tunicam corneam et humores oculorum bile decolorata (A), et flavum colorem, quem hinc modo jam (LVII.) dicto ducunt, permeantibus lucis radiis impertientia.

LX. *Fæces albidæ*—sunt, quia bilis, ductibus offectis, impeditur, ne in summum intestinum influat. Cùm enim flavidus color ex albido et viridi confusis componatur, viridi subducto, necesse est supersit tantùm albidus.

LXI. *Urina crocina, amara saliva,*—est, ob bilem ex inquinato sanguine secretam, et illi colorem, huic amaritudinem impertientem.

LXII. *Nausea* atque *vomitus,*—quibus miseros haud raró mortales morbus regius urget, moventur

---

(A) Vid. Morgag. *De Sed. et Caus. Morb.* Epist. XXXVII. 8.

moventur propriis stomachi humoribus bile vitiatis, quæ, unà cum ipsis, à sanguine separatur; partim etiam forsitan consensu, qui, per nervos, stomacho intercedit cum partibus laborantibus, et intestinis.

LXIII. *Alvus tarda* et *dura*—est, ob bilis defectum. Hic enim humor, ut experientia docet, necessarius est, non solùm ad alvum in motus salutares ciendam, quibus stercus dejiciat, sed etiam ad hoc ipsum adeò emolliendum, ut facilè dejiciatur.

LXIV. *Cutis pruritus*—movetur bile ex arteriis exhalantibus effusâ, nervosque, quibus ad sentiendum affatìm instruitur cutis, irritante.

LXV. *Hypochondriorum dextri durities*—tactu percipitur, aut quòd vesica fellea, ultra modum, impletur et turget; aut quòd, colis felle perquàm distentis, ipsum hepar mole augetur; aut quia, id, enimvero, quod haud

rarò

rarò accidit, et hoc augetur magnitudine, et illa, supra modum, distenditur.

LXVI. *Febris*,—quæ ictero nonnunquàm supervenit, ex bile oritur, quæ in sanguine, at discreta tamen, fluit, quæque, utpotè aliena materia, cor et arterias nimìs incitat.

LXVII. *Subater color*,—in quem, si inveteraverit morbus, abit flavus, efficitur cruore dissoluto, et, unà cum bile, effuso ex patulis arteriarum surculis.

LXVIII. *Cætera mala*,—quæ affert arquatus niger, frigus, nempè, pigritia, odoris fœditas, spirandi difficultas, fæcum et urinæ color subniger, aqua intercus, erysipelas malignum, gangræna, *sphacelus*, sanguinis profusiones, pessimo sanguinis habitu, aut debilitate solidarum partium hunc insequente, aut utrisque simul, nascuntur.

PRO-

PROGNOSIS.

LXIX. Signis præcipuis, pro virili, explicatis, nunc considerandum est, quæ notæ spe consolentur, quæ metu terreant. Nihil enim medicorum famam magis evehit, quàm sagaciter præsagire, sanabilis, necne morbus sit; salusne expectanda, an timenda mors.

LXX. Si, visceribus sanis, viribusque nondùm fatiscentibus, icterus ex spasmo ductuum oritur, atque æger juvenis est, neque unquàm morbo anteà laboravit, bonum est. Scire quoque licet, ægrum non periclitari, si præcordiorum dextrâ parte dolor modicus, post pastum ingravescens, sedemque singulis diebus paulatim mutans, morbum tenace muco, concretisve felleis non ità grandibus, oriri ostendit. Inter bona etiam indicia sunt, bi-

lis

lis suprà infràve erumpens; cutis non multùm flavescens; cupiditas cibi vel à principio servata, vel, etiam post fastidium, orta; nequedum corpus multùm maceratum. Bonum, denique, ubì nulla urget febris.

LXXI. Contrà, gravis morbi periculum est, ubì æger vergit ætate, et iterùm jam iterùmque eodem vexatus est morbo. Neque verò signum bonum est, dolorem in uno loco manere; alimentum tardè et non penitùs concoqui; et vires defluere. Mali etiam morbi testimonium est, hepar induruisse; atque abdomen tumidum esse, et durum, magisque dextrâ parte, quàm sinistrâ: alvum perquàm astrictam, siccam, et duram esse; neque in iis, quæ difficilè redduntur, ullam inesse bilem. Periculosum est etiam, post arquatum morbum, febrem oriri. Præter hæc, periculum magnum ostendunt spirandi difficultas, anxietas, præcordiorum gravitas, sitis insedabilis. Cor etiam palpitare; arterias tàm vi, quàm temporibus, inæqualiter moveri; flavum colorem in subatrum abire, pessimi morbi

est.

est. Mors denunciatur, ubì alvus excernit porracea, aut subnigra, et pessimi odoris. Ad ultima jam ventum esse, testantur urina suppressa, aut nigricans, et fœtidissima; sanguinis profusiones; aqua intercus; erysipelas; gangræna: terribilia enim hæc mala ostendunt, nullam superesse spem, neque medicinam diutiùs valere.

CURATIO.

LXXII. Diximus, de cæteris rei nostræ partibus. Nunc ad ultimam venimus; in qua considerandum erit, quibus medicamentis et remediis arquato morbo afflictis succurrere medici consueverint. Quum verò, de cæteris partibus, longi fuerimus, de hac laborabimus esse breves.

LXXIII. Ante

LXXIII. Ante omnia, confitendum est, medicos non posse semper icterum curare, propterea quòd haùd raro nesciunt submovere causas, ex quibus oritur. Hanc ob inscitiam, icterum, quem faciunt hepatis duritiæ, rarissimè possunt curare; et nunquàm eum, qui enascitur ductuum felleorum concretione. Hydrargyrus enim, et cicuta, et *acidum nitricum*, non semper duritias emolliunt; atque concreti ductus nullo modo bili denuò pervii reddi possunt.

LXXIV. Quum ità sit, tantùm restat, ut paucis exponamus, quâ ratione ictero subveniatur, quem ductuum spasmi, aut inhærentia concreta fellea faciant.

LXXV. Si modò sint, quarè medici judicent, ductuum spasmis icterum effici, debent, sine mora, ægroto succurrere iis auxiliis, quæ spasmum solvunt. Horum efficacissima sunt, cauta et considerata sanguinis missio, tepidarium, fotus, opium, simulque liquo-

res mites, qui diluant et emolliant. De his verò medicamentis, singulatìm et fusè disserere non opus videtur.

LXXVI. Ubì icterus concretis felleis in ductibus, quos suprà memoravimus, inhærentibus oritur, medicorum est ductus relaxare, ut faciliùs distendantur, et minùs impediant concretorum transitum; atque ea ab ipso ægro facienda curare, quibus, per partes contiguas, ductus, à tergo, bile turgidi comprimantur sic, ut bilis protrudat concreta in summum intestinum.

LXXVII. *Primo consilio*,—si æger juvenis est, et arteriarum motus justò frequentiores et duriores, oportet, ante omnia, sanguinem ex brachio detrahere, ne ductibus superveniat inflammatio, et ut spasmus, si quis, faciliùs solvatur.

LXXVIII. Quinetiam, multùm proderit, non solùm aquâ tepidâ, aut laneis ex aqua tepida expressis, externum abdomen fovere; sed etiam

tiam subindè internum aquâ tepidâ, ex inferiore parte, in alvum infusâ. Namque his factis, haùd rarò spasmus solvitur, et, bile in summum intestinum intromissâ, morbus desinit.

LXXIX. Deniquè, sanguine (LXXVII.) detracto, et inflammatione ductuum præcautâ aut suppressâ, opium, ad spasmum solvendum, plurimùm pollet; et tutò adhiberi potest, modò simul catharticis assumptis præcaveatur, ne alvum tardet.

LXXX. *Secundo consilio*,—arquato affecti debent, medico jubente, ea assumere et facere, quibus corpus sic agitetur, ut, vehementioribus abdominis musculorum contractionibus, ductus bile turgidi visceribus vicinis comprimantur, et concreta propellantur in summum intestinum.

LXXXI. Hunc in (LXXX.) finem, assumere debent medicamenta, quæ vomitum moveant.

Gravis

Gravis verò vomitus ciendus sit, an levis, inter se dissentiunt medici. Nonnulli contendunt, quò gravior est, eò plùs pollere. MONRONI autem, ad cujus sententiam potiùs accedimus, videtur, gravem vomitionem idcirco malam esse, quòd vehementes nixus, quibus perficitur, committant, ut ductus præclusi et admodùm distenti dirumpantur, et mors insequatur.

LXXXII. Eodem (LXXX.) consilio, alvus purganda est. Alvo enim catharticis stimulatâ, viscera abdominis, quoties desidet æger, contractis incumbentibus musculis comprimuntur ipsa, et simul ductus bile turgidos comprimunt; usquè nonnunquàm eò, ut officiens concretum in summum intestinum protrudatur. Nec acribus tamen catharticis, nec nimìs frequenter, alvus moveri debet: quippè vehementibus nisibus dejiciendi æger intolerandis doloribus cruciatur, atque perfrequente exinanitione defluunt vires. Quum ità sit, mitiora

cathartica

cathartica assumenda sunt, interpositis idoneis temporibus (A).

LXXXIII. Equi-

(A) "*Ante multos annos*," inquit SWIETENIUS, "*hominem curavi ab hoc morbo, qui, quotidiano labore sibi et suis victum parare coactus, expensis remediorum impar erat; simul tamen constantis animi et recuperandæ salutis avidissimus: hinc, promittens curationem, facilè persuasi illi, ut solo gramine viveret. Decoquebat magnam quantitatem graminis in aqua pura, et decocto, melle edulcorato, utebatur pro potu communi: tenerum gramen verno tempore pullulans, vel et post primam sectionem renascens, incoquebat carnium jusculo, illoque solo ferè utebatur cibo. Primo tempore curæ, liberè fatebatur, talem victum sibi minùs placere; sed, sensim assuetus, absque ullo posteà fastidio sumpsit, et, per integrum ferè biennium, solis hiemalibus mensibus, saltem pro parte, exceptis. Narrabat mihi, se solo sapore optima jam posse distinguere pascua, et clam debere sibi victum in pratis colligere, dum rustici, experti quàm magnam copiam graminis quotidie absumeret, illum vi abigerent. Sanatus autem fuit à pertinacissimo ictero solá hac methodo, licèt jam saliva ipsi amaresceret; et vidi illum, pluribus annis posteà, incolumi sanitate frui* *."

* Vid. SWIETEN. *Comment. in* BOERHAAV. *Aphor.* Tom. III. pag. 136, 137.

LXXXIII. Equitatio, porrò, eodem modo, quo vomitio et purgatio, conducat ad expellenda concreta fellea, quibus ductus præcluduntur, et inducitur icterus. Dummodò igitur dolores non prohibeant, hoc morbi affecti subindè equitare debent.

FINIS.